


ueatur à medio quam motus tardus, & in secunda medietate tantundem, velocius redeat, Ergo in secunda medietate est semper proximior motus velocissimus ipsi quieti, sed in prima medietate quod mouetur motu velocissimus propius est secundæ medietati semper quam quod mouetur tardo motu, igitur quod mouetur velocissimè circulariter est propius quiescenti, quam quod mouetur tardè. Et hoc est quia in æternis motus est quies, & ideo habent quandam similitudinem iuxta perfectionem suam, sicut si essent in circulo hoc modo. Mutatio ergo



conuenit in corporeis quæ pendent à corpore, sicut lamini: quatenus enim sunt ex corporeo, occupant diuersum locum, quatenus est incorporei id, agit sine transitu per medium & in instanti, ergo incorporea simpliciter mutationem recipiunt, non in tempore neque in loco. Videtur autem velocissimum dupliciter etiam nobis iuxta sensum, idque est in quo sensus medijs transitum non percipit, & natura quod est primi mobilis. At dubitare quis potest circa hoc, nam proprium motus est tangentia concutere, quietis autem minime: concutit autem maximè quod velocissimè mouetur, ob hoc arbitrati sunt homines quod velocissimus motus multò plus distaret à natura quietis quam tardus, sed hoc est quia non eadem est ratio violenti & naturalis: violenta enim non redeunt in seipsa, nec habent rationem circularis, sed potius recti & infiniti, & ideo in his quæ mouentur motu recto naturali cadit violentia, non autem in his quæ mouentur motu circulari naturali: concussio ergo est in motu violento, & qualiscunque motus violentus, quanto magis augetur tantò magis recedit à contrario, tantò magis remouetur à natura contrarij, & habet actiones contrarias validiores.

Est etiam aliud penè simile argumentum in figuris ipsis, circulus enim vnica linea continetur, nulla tamen figura ab ea magis natura remota est triangulo: siquidem circulus capacissimus est triangulus omnium rectilinearum minimè capax: vt contrà polygonia, quanto plurium sunt laterum eo capaciores sunt, adèd vt octagona quadrangula, & quæ est sexdecim laterum æquialium, & æquiangulorum plus contineat octagona, & forma etiam sit similior circulo

adèd vt cum excreuerit in multiplicem numerum rectangula figura huiusmodi, scilicet æquilatera, & æquiangula omnium sensum fallat, videaturque potius circulus: Et tamè figura plurium laterum, quanto plurium laterum fuerit remotior est à natura circuli, qui vna tantum linea continetur: plus enim distat centum ab vno quàm decem, & mille quàm centum. Causa igitur est, quia (vt dixi) etiam in naturalibus omnis natura rerum est, vt quasi clanculum redeat in seipsam: nam circularis figura per triangulum ex rectis multum à natura sua recedit & ambita & similitudine: eadem per figuras quæ ex pluribus rectis constant ad sui similitudinem redit numquam tamen explet eandem naturam perfectè, cum nulla polygonia figura pro circulo exacto sit: ita videtur in naturalibus ad idem redire, quod est potestate solum quadam generali dissimile: actu verò non idem ad vnguem. Sed obiicies de motu quòd si tempus fiat breuius, magnitudo autem consistet, erit (vt diximus) quod mouetur simile quiescenti, at vbi tempus idè sit, sed magnitudo perpetuò augeatur, non idem vt in cælo: verisimile est enim quicquid est quod mouetur vterius quàm id quod cernitur nihilominus in viginti quatuor horis, non autem celerius moueri: propterea cum spatium temporis prolixum sit, non videbitur quiescere. Nec obstat quòd quisq; ià proportionem obiiciat, siquidem multo minus videbuntur propiora centro quiescere, namque illa tardius ex confesso mouentur, at quod tardius mouetur, vt dictum est, moueri magis videtur, idèd proportionem illam ad aliud mobile referre oportet, cum nullum tale sit. Dicimus ergo quòd apud illas non videtur motus tardus, quia comprehendunt motum, ante tempus nobis autem hæc accidunt, quia comprehendimus tempus ante motum. Et etiam quia circa polos quiescit, & quod non potest aliquid comprehendere, simul moueri & quiescere, vt docebimus. Et etiam quia motus est ab illis, sicut in nobis cum mouemur, non enim vt mouemur nos moueri deprehendimus, sed vt moti idèd in his, non quod apparet, sed quod spectare oportet: at ita est vt quæ velociter valde mouentur, perinde sunt quasi ac si quiescerent, adèd vt motus si in instanti fieret esset quies, & quies in incorporeis est motus, non in tempore. Videntur etiam astra quiescere nobis, quoniam (vt dixi) lineæ a e & b e non possunt videri moueri in e, oculus autem iudicat moueri debere in e, non ex c in d, vbi est amplum spatium terræ comprehensum, ergo a e quiescere videtur in e, igitur & in a. Quòd autem videatur in e quiescere, patet, quia quod motum videri debet, oportet vt insensili tempore spatium sensibile pertransierit: insensibile autem tempus est minus motu velocissimo pulsus, hic autem maius exigit tempus centesima parte centesimæ partis horæ, igitur diei ducentesima quadragesima millesimæ partis, & in hoc oportet vt pertranseat sensibile spatium, quod est quinquagesima parte vna saltem maius. Ergo si fiat instrumentum quingentarum vlnarum